

non planè in hoc studio hospes est. Nos igitur hanc Meteororum Ignitorum tractationem cum Fulmine obfirmamus. Sunt quidem, præter ea, quæ jam adducta sunt, plura adhuc Meteora Ignita, ut Capræ saltantes, Scintillæ volantes, Trabs, Fax, atque alia; sed quia ea non sunt tanti momenti, atque priora, ideo nos, qui brevitati studemus, ea hinc mittimus.

## §. VII.

*Meteora aquea sunt, quæ ex effluviis aqueis oriuntur.* Materia eorum Effluvia aquea sunt: quæ per sidera ex aqua & terris humidis extrahuntur. Forma est accidentalis dispositio, pro cuius varietate variant ipsa Meteora aquea. Causa efficiens, accidentalem hanc figuram & formam effluviis imprimens, est ventus, frigus, aut simile quid. Finis, præter generalem illum, qui in gloria Dei consistit, est, varias præbere humiditates pro nascentibus ex terra, nec non pro animalibus, item mitigare nimium æstum aëris. Aliquando DEUS, scelerum vindex, punit peccata hominum imbribus magnis aliisque Meteoris Aqueis. Sunt autem Meteora Aquea Nubes, Pluvia, Grando, Nix, Præina, Ros, Nebula, Glacies. *Nubes est Meteorum Aqueum, ex Effluviis ad mediam Aëris regionem delatis genitum, & pro ventorum varietate variè agitatum.* Dicitur Nubes ab obnubendo, quòd Coelum tegat. Materia ejus, ut omnium Meteororum Aqueorum, est Aqua, non tamen crassa, sed in vapores sive partes tenuiores redacta. Hinc maximæ Nubes super Mari-  
B 2 ribus